

sulibus, sedem ac dioecesim Remensis urbis tibi Eboni restituimus, ut pristino sanctae largitatis apostolicae pallio indutus concordiam atque gratiam divini officii nobiscum humili satisfactione expleta solenni nostra a largitate recipiendo exerceas. Drogo, filius Karoli gloriosi Augusti, frater Hludowici, excellentissimorum augustorum totiusque sanctae ecclesiae istorum palatinus archipraesul, sciens sine certo et manifesto crimine neminem nisi canonice vocatum publiceque convictum deponendum episcopum neque sine consensu et praesentia ecclesiae suae nullum nisi sponte confessum licite absolvendum episcopum, alioquin quasi fugitivum aut quocumque modo subductum canonice revocandum; propter quod ligandi solvendique divinitus accepta licentia pontificali *ex aucto-^{*fol. 121.}ritate fratrem Remensem episcopum mundanis a pressuris eductum, repetentibus ecclesiae suae fidelibus, consensu principis nostri ceterorumque subscriptorum consacerdotum, cum pallio sanctae et apostolicae auctoritatis, divinis officiis ipso adiuvante revocamus, qui fraterna pro concordia simili satisfactione certanti veniamque suppliciter petenti potestatem sacrificandi dedit dicens: *'Et tunc veniens offeres munus tuum'*¹. Otgarius archiepiscopus. Amalwinus archiepiscopus. Heti archiepiscopus. Audax archiepiscopus. Gisbertus episcopus. Haiminus episcopus. Frotharius episcopus. Ado episcopus. Rataldus presbyter vocatus episcopus. Ioseph episcopus. Adalulfus episcopus. David episcopus. Hrodingus episcopus. Badaradus episcopus. Agano episcopus. Hartarius episcopus. Samuhel episcopus. Raambertus² episcopus. Amalricus vocatus episcopus³ cum ceteris plurimis presbyteris ac diaconis publice adstantibus. Actum in Engelenheim VIII.⁴ Kalendas Iulias regnante⁵ domno Hlothario caesare, anno reversionis eius primo, successor factus patris, indictione III'.

[Episcoporum gratulatio de eadem.]

Dum non est incognitum, sed a pluribus videtur esse compertum, qualiter ecclesia haec maxima Galliarum sub regno Francorum nostris perturbationibus et discordiis principum his temporibus agitur, unde et plurimi episcoporum aut vi aut timore propriis sedibus aut expulsi aut derelictis huc illuc vagantur. Inter quos etiam Ebo, archiepiscopus ecclesiae Remensis, a sede propria abreptus et ad praesentiam principum perductus est et per aliquot tempus in exilio detentus, inde reductus, praesentatus coram episcopis et, ut periculum suae instantis *damnationis evaderet et commotiones principum miti-^{*fol. 121'.}

1) Matth. 5, 24 (vgl. S. 368 N. 8). 2) 'Haambertus' (?) Hs.
3) Ueber die Sitze der Bischöfe vgl. MG. Cap. II, 112. 4) 'IX.' Hs., die hier übereinstimmt mit dem Drucke bei Gretser, Opp. X, 694. 5) 'et imperante' fehlt Hs.